



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gavdendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventvales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificivm In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventvales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

Conscientiam de actionis suae malitiâ, id est practicè dubitantem, eam  
permittere non posse. In speculatiuo autem dubio quod superari non  
potest, Conscientiam ex possessione & juris praesumptionibus, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

## TRACTATVS VI.

## DE CONSCIENTIA DUBIA.

Omne quod ex fide non est, peccatum est. *Ad Rom. 14. v. 23.*

*Conscientiam de actionis suae malitiâ, id est, practicè dubitatem, eam permettere non posse. In speculatio autem dubio quod superari non potest, Conscientiam, ex possessione & juris præsumptionibus, in omnium Virtutum materiâ re-  
etè efformari.*

## PRO O E M I V M.

*Cur Con-  
scientia  
vocetur a-  
liquando  
dubia.*



Uamuis Conscientia dubia verè proprieque dicta Conscientia non sit, vt antè me dixisse memini; quandoquidem Conscientia, actus sit de actione suâ judicantis animi; dubitatio verò sit hæsita-  
tio quædam suspensioque judicii, vt mox expli-  
cabo: tamen quia circa res dubias, quæque nul-  
lum in alterutram partem consensum extorqueant, versandum  
est sæpenumerò, de quibus tamen Conscientiæ judicium certum  
exigitur, idcirco Conscientiam dubiam vocant Theologi: non  
quod dubiam in rebus agendis umquam sententiam ferre possit,  
quam licitum sit executioni mandare; sed quod incertæ sæpe res  
sint, dubiæque bonitatis aut malitiæ, de quibus tamen certum  
quid est statuendum, an executioni mandari debeant, an verò  
sint penitus rejiciendæ. Dicendum est itaque, quâ ratione in du-  
biis quæ proponuntur actionibus, efformandum sit Conscientiæ  
dictamen, quod sine crimine amplecti liceat, & impunè etiam à  
dubitante exhiberi.

§. I.